

ditum, inuictum reddat & immotum. At quanta est huius magnificentia, qui non unum & alterum regnum, sed uniuersum Orbem condidit: quanta est eius potentia, qui Orbem à se conditum ita firmavit, ut inde ab initio immotus persistat. Proinde emphasis in uocula *regni*: id est, *Etiam*, est. Q. d. *Parum est unius & alterius regni magnificentiam & potetiam ostendere, tu etiam ipsum totum Orbem & condidisti, & immotum reddidisti.*

Verf. 2. *Firma est exinde sedes tua.*] hoc est: Regnum tuum (id enim *sedis* dictione quidam hinc intelligunt) inde ab initio Mundi, à condito & formato Orbe, ad hoc vsq; temporis firmum est & immotum. Nō uocat ipsum Orbem regnum ac sedem Dei, si hunc sensum acceperimus: sed infirma Orbis constitutione considerandā proponit regni Dei firmitudinem, unde Orbis hic habet, ut persistat. Addit:

A' seculo tu: id est, ab initio seculi tu es Deus ac rex. Itaq; hoc uersu duo dat regno Dei Propheta. Unum, quod sit omnium antiquissimum: alterum quod sit omnium firmissimum. Antiquitate eius inde ab initio Mundi deducit: nō quod ante conditum Mundū non fuerit Deus, sed primū mundi initio cōeperit: absit, sed quod ante hunc non fuerit quisquam alius. Alio qui quomodo primū initio Mundi cōepisset, qui Mundi est conditor? *Robur* etiam regno Dei tantum tribuit, ut omnia omnium regum regna, non solum antiquitate, sed & firmitudine superet. Multa fuerunt huius seculi regna, sed nullum ex omnibus ad hoc vsq; temporis durauit. Euanuerunt omnia, quantumuis potentia Assyriorum, Medorum, Græcorum ac Romanorum imperia: at regnum hoc Dei inde à conditio Orbe huc vsq; perdurat, durabitq; in sempiternum.

Quod si quis hæc uerba, *Firma est exinde sedes tua*, de cœlo uelit intelligere, quod Esaiæ 66. & Matt. 6. *sedes Dei* dicitur non desipiet, & minus habebit difficultatis &, ut uerum fatear, mihi quoq; magis arridet, ut intelligamus Prophetam nō solum de terrē, sed & cœli conditura ac confirmatione hoc Psalmo canere.

Verf. 3. & 4. *Extollunt flumina Domine.*] Quidam duos hosce uersus parabolē de gentibus Israël in inimicis positos intelligunt, quarum impetus Deus & fremitus, quamuis terribiles, perinde atque terribiles maris fluctus robore regni sui depressoerit. Et Kimhi Ebr. de *Gog & Magog* exponit, qui sint regnum *Melshah*, & urbem Hierusalem bello impugnaturi. Non est alienum à Scriptura per *flumina* populos, uocemq; ac fremitum illorum insultus & impetus hostiles exprimere. Alij simpliciter absq; parabola intelligunt his uersibus, terribilem Dei potetiam, in ipsius operibus, *fluminum* scilicet & *maris*, considerandam proponi. Quasi dicat Propheta: Terribilis est strepitus & eleuatio fluminum, præsertim in marinis fluctibus: at quāto terribior es in excelso Domino, qui & maris & fluminum fluctus condidisti, extollisq; & rursum cum placet, deprimis? Utraque sententia & uera est, & pia, ut non uideam utra sit præferenda. Est enim reuerā potetia illa Dei, omnia excellens, multo terribior quā uili sint hostium, quantumuis ferocium, impetus ac fremitus. Nec est horrenda illi maris sæuities tanta, ut aliquo illi pacto conferri possit. Quod autem non simpliciter dicit, *Terribilis es Domine*: sed addit, *In excelso*: suspicor eum loqui de tonitruis ac fulminibus, quibus reuerā terribilem mortalibus potetiam desuper ostendit. Terribilis etiam erat in excelso, cum diluio cœli, tū demisso, totum Orbem perdere: item cū ignem ac sulphur de cœlo super Sodomam & *Gomorrham* deplueret. B

OBS. I. *Dominus regnat.*] Breue dictum, se mirè amplum & efficacem, si fidei mente proferatur & consideretur. *Regnare* quid aliud est, quā omnia in manu habere, & sine ullo impedimento moderari? Si impio tribuatur hæc potetia, tyrannus erit: si pio, iustissima omnium rerum moderatio. Iam cogitemus, quantam adferat pijs cōsolationem, quod nec Mundus hic, nec satan, sed Deus regnat: hoc est imperium in omnia possidet: nec possidet modò, sed & exercet etiam. Plus est quod dicit, *Dominus regnat*: quā si diceret, *Dominus rex est*. Inuenias regem, qui tametsi regis sit titulo ornatus, haud quaquam tamen regnet. Plerunq; imperant illius aulici, ita ut ipse quoque imperio illorum sit subiectus, beneq; secum agi putet, si tutò consistere possit. Hoc nō est regnare, sed regi, imò seruire. Sicut igitur aliud est uocari episcopum, & aliud *ἐπισκοπέω*: ita aliud est regem uocari, & aliud regnare. Deus noster non solum titulo regni decoratur, sed regnat etiam.

OBS. 2. *Magnificentiam induit, induit Dominus robur.*] Notemus hanc regalis magnificentia & potentia imaginem. Proponit nobis in Deo non solum opem & robur regni, sed paratam & expeditam magnificentiam & potentiam cū non solum dicit: *Diues est Dominus & potens*: sed, *Magnificentiam induit Dominus, induit robur, & circumcinxit se*. Asseuerationem huius habet, quod uerbum *induendi* bis posuit. Habemus ergo talem regem, cuius nobis magnificentia parata sit, cuius potetia nunquam non in expeditione, ut ita dicam, & ad hoc instructa sit, ut regni sui ciuibus in omnibus succurrat. Consideremus utrunq; hanc magnificentiam & potentiam regni Dei in ipsius operibus, primū quāta sit utraq; in se & incomprehensibilis: deinde, quā ad vsus humanos mirificè parata & instructa. Quæ poterit esse egestas regni huius ciuibus, quibus regis tam opulenti magnificentia ubiq; parata est: nec ad necessitatem modò, sed & copiam & abundantiam: nec meritis tantum, sed & immeritis, imò malè etiam meritis, exposita est, qua in re haud parum regis nostri magnificentia reuocet. Deinde quōdnam erit timendum periculum ciuibus istis, quorum rex omnipotens perpetuò est in procinctu, & ad defendendum suos paratus. Obserua uerò quantam habeat consolationem hæc particula, quāq; eam Spiritus sanctus commodè posuerit, dicens: *Circumcinxit se*. Bellum nobis est cum satana & Mundo: sed ecce rex noster cinctus est: idq; non qualicumq; armatura, sed robore. Da mihi regem, qui hoc sit gladio cinctus. Cinguntur ferro: at hic rex robore. Cingitur satan dolis & imposturis: at rex noster cinctus est ipsa uirtute, paratam habet ad omnia momenta, ad omnia hostium machinamenta, uirtutem ac potentiam.

Etiam

*Aristot. 4.
Eth. β γ α ε
ἐστὶ τὸ αὐτὸν ἀπο
πανηρὸς ὁ μὲν
καλοῦσθαι, ὁ δὲ
ἀπὸ ἐστὶ τὸ
κοινόν.
Expede unde
desistit qua
lis regum ac
principū magni
ficentia: que
stortum, rapina;
si finem inspicias, luxuriosus est.*